S. THOMAS AQUINAS,

DOCTOR ANGELICUS,

ORBIS ERUDITI MAGISTER,

CRUCIFIXI DISCIPULUS,

Ipſiusmet Diviniſſimi Theandri oraculo (a)

IN LIGNO PATIENTIS:

At

è Cathedra Crucis Magiſtri Docentis (b)

Prærogativa Doctorali prodigiosè inauguratus (c)

Hodie verò

Inter Anniverſaria Ejusdem SANCTI Solemnia

IN BASILICA S. ADALBERTI

Sacri Ordinis Prædicatorum Wratislaviæ ſolemni pro more Panegyrico celebratus;

Perorante

Reverendo, Religioſo, ac Clariſſimo Patre

P. LAURENTIO THEKAL

è Societate JESU, SS. Canonum Doctore,

Eorundémque

In Alma, Cæſarea, Regiáque Univerſitate Leopoldina Wratislavienſi Profeſſore Publico, ac Ordinario.

Annô M. DCC. XXXII. Die VII. Martii.

Cum Licentia Ordinarii.

WRATISLAVIÆ, Typis Academici Collegii Soc. JESU.

(a) *Quando Neapoli in Eccleſia S. Dom. audivit Crucifixum, coram quo oravit, dicentem ſibi:* Bene ſcripſiſti de me Thoma. *S. Pius V. in Bulla*: Mirabilis DEUS &c. *S. Vincent. Ferrer. Piccinard. Tom. 2. lib. 3. q. 2. a. 2.*

(b) *S. Auguſtinus, lignum crucis, in quo fixa erant membra Chriſti patientis, vocat Cathedram Magiſtri docentis.* lib. de agon. Chriſt. c. 11.

(c) *Doctrinam omnem ſe divinitus, ex commercio cum Crucifixo, hauſiſſe teſtatur ipſe S. Thomas in Brev. Ordin. Prædic. & Orac. Joann. XXII. P. M.*

SUB
SACERRIMIS
AUSPICIIS
EJUSDEM

Joann. XXII. **DOCTORIS**

ANGELICI,
COELESTIS
IN CARNE ANGELI,
SAPIENTIÆ ABYSSI,

Univ. Conimb. *ILLUSTRISSIMI*
DOCTORUM PHOEBI,
ORBIS ERUDITI
MAGISTRI,
QUIA
IN SCHOLA INCARNATÆ SAPIENTIÆ
ERUDITI DISCIPULI,
DIVI

THOMÆ

DE
AQUINO
ORDINIS PRÆDICATORUM.

PANEGYRICUS.

Silete septena humanæ Sapientiæ prodigia! quibus speciosos honorum titulos, eruditioni vestræ tributarios Græcia transcripsit, Pariáque jussit emoliri marmora, superbos assurgentia in colossos, spectanda Posteritati Sapientiæ vestræ olim monumenta, hodie vix restantia è cineribus & bustis rudera! S. THOMAS de AQUINO, non humanæ solùm, sed & Divinæ Sapientiæ portentum, non Provinciæ aut Regni, sed Orbis Academiarum Magister, *[Univers. Conimb. & Complut.]* Magistrorum Dux, Doctorum Princeps, in uno VERBO majora vestris complexus est elogia. Tacete Romanæ olim eloquentiæ miracula, Cicerones! ingeniorum portenta, Aristoteles! Artis Pœoniæ oracula, Machaones, Padalirii, Hypocrates! æqui justíque thaumata, Minoës, Aristides! quorum cathedræ jam abiêre in cineres! S. THOMAS de AQUINO Doctorum Doctor, adhuc hodie perorat in exedris, judicat in tribunalibus, disputat in Academiis, determinat in Conciliis, dictat in universis Orthodoxi Orbis Universitatibus. *[In Conciliis Vienen. Constant. Florent. Lateran. Trid. secundùm mentem S. Th. omn. definita.]* Obmutescite illustrissima Orbis Eruditi Lumina, Peripateticorum Antesignani Gymnasiarchæ! olim colossis Rhodiis celebrati, quibus Athenæ pretiosa muricum præcordia; candicantes martium Scythicarum exuvias elaborârunt in epomides; nemora laurigera nexuêre incoronas, ut celebria sapientiæ vestræ nomina coram universo redderent illustriora; jam exesæ calvariæ, bustáque elinguia! *[Ejus doctrinam sequuntur ferè omnes Christianæ Univers.]* S. THOMAS de AQUINO scientiarum Phœbus, adhuc hodie Peripateticos inter Doctissimus, Galenos inter Excellentissimus, inter Ivones & Raymundos Clarissimus, Suarezios inter aliósque purpurati Orbis Theosophos Eximius, omnem vestris lauris palmam præripit. *[Duas Cathedras moderatus in Universit. Paris.]* *[Chron. c. Ordin. Præd.]* Quidquid enim eruditis Academiarum fulget in aulis, quidquid in Peripateticis nitet epomidibus, quidquid in Theosophicis rubescit purpuris, quidquid in Galeni purpurascit ostro, in Ivonis clarescit murice, ex unius, ausim dicere! AQUINATIS penna Orbi litterario profluxit in ornamentum. Est Theosophis *Doctorum Alpha, ab omni errore Eximius*, à quo ii sua mysteria; Est Jurisperitis à propugnata Sacra Themide, justitiæ defensa bilance, Religionis protecto Zelo, Clarissimus, *[Clem. V. P. M.]* à quo illi sua lumina; est Medicæ Facultati à personatis corporis animíque languoribus Excellentissimus, unde ipsi suos aphorismos; est denique naturæ scrutatoribus ex penetratis naturalium arcanis, enodatis arcanorum nodis Gordiis Doctissimus, à quo omnes sua mutuârunt argumenta. Equidem, quod in singulos, seu indoles, seu industria dispertiit singillatim, in uno THOMA Orbi dedit spectandum in compendio; namque AQUINATICO soli è pectore THOMÆ refulgenti splendorem suum debet omnium Orbis scientiarum & facultatum quaternio. Discutere libet singulas: huc adesto sacratior Uranie! Divinorum Scrutatrix Facultas Eximia! edissere! an non Doctorem Angeli-

gelicum tuum revereâre Magistrum Eximium? postquam is, qui prodigioso ingenio suo *conclusit Augustinos, Ambrosios, Gregorios, Hieronymos*, abyssum penè perscrutatus Divinitatis; *de Deo sic locutus, quasi vidisset*, verè & nomine & re *abyssus* THOMAS. De Angelis tractavit ùt Angelus, quorum naturam ità penetravit, ut in se eandem transfuderit *Doctor Angelicus*. Virtutum splendorem alioquin nativum magìs illustravit, cùm ceu umbram lucis comitem individuam ità virtutibus opposita vitia docuit non dominari naturæ, sed gratiæ ancillari. Fidem ab imperscrutabilibus alioquin obscuram mysteriis ità elucidavit, ut & claritatem ab AQUINATIS Sole mutuâsse, & penè in visionem transiisse videatur. Incarnationis Divinæ Mysteriorum Mysterii à sæculis absconditi omnem discussit caliginem, ubi in splendoribus Sanctorum ante Luciferum genitum Verbum, humanam indutum carnem, eruditâ pennâ Orbi Orthodoxo ità declaravit, ut non immeritò conjicias, Verbum (Sapientiam Patris) natum secundùm carnem de Matre Virgine sinè Patre in tempore, quod genitum ab æterno fuerat de Patre Virgine sinè Matre, etiam cunas habuisse in Parthenia AQUINATIS mente. Ut non memorem gratiarum Divinarum latices è fontibus Salvatoris profluentes gratiæ sanctificantis signa causativa, totámque sapientiæ Theologicæ Summam, supremum culmen attigisse in AQUINATIS Summa: Testis mihi est liliatum scientiarum florilegium Florentia: testis decantatum sapientiæ Palladium, omnimodæ eruditionis Athenæum Lutetia Parisina: testis celebre illud Musarum Sacrarium Roma, Neapolis, Bononia, Colonia, quarum, imò omnium Orbis Universitatum clarissimus hodie candor eò luculentiùs in gloriæ auge apricatur, quò luculentiùs à prodigioso THOMÆ ingenio illustratur. Adesto Divini humanìque Juris Assertrix Facultas Clarissima! edic, an non & tu splendores tuos Soli AQUINATICO è pectore THOMÆ refulgenti debeas tributarios? à cujus radiis vel ipsa se fateatur Astræa illustratam, caligantíque palpebræ suæ, nè nictitaret, affusum diluculum, quò discernat, ut æqua bilance tribuat cuique suum, à cujus erudita penna Divini humaníque Juris decreta robustiori Gordio fœderata Themis glorietur, suámque bilancem aut vindicatam, aut stabilitam in jure & justitia, ut meritò in Juris corpore THOMAS Angelicus audiat Gratianus. Adesto Excellentissima Facultas Medica! effare, an non & tu in AQUINATE tuum venerêre in Arte medendi Galenum sacratiorem? qui tum corporum tum animorum fracto robori medelam afferre noverat? Equidem, si Angelus audit AQUINAS, alter in carne sinè carne Raphaël est Arch-Angelus, qui non unius Tobiæ cœcutientis pupillis aspersit collyrium. Testis mihi est Joannes de Ferentino, qui vix subinde exanimi licèt AQUINATIS vultui privatum lucis usurâ admovit oculum, mox Angelici hujus Archiatri ope atram frontis noctem, in lucidum sensit diem serenatam: quin quòd lippientium ad clarissima arcanorum fidei ænigmata deterserit glaucomata? viderent Averroës, Buceri, aliáque hæreseos, & Gentilitatis monstra, si, quem sacratiorem in propulsandis errorum tenebris in AQUINATE (quo non sublato nihil se in Ecclesiam moliri posse ingenuè fatebantur) suspexêre Æsculapium, antidota veritatis erudito ejus consignata calamo adhibuissent in malagma. Quid memorem Peripatos, doctáque Philosophorum Lycea! ubi THOMAS vix nascitur, jam philosophatur, quasi materno cum lacte degustâsset galaxiam, quam pusio didicerat speculari vel in ipsis cunis Magister Laureatus, qualem easdem inter fascias testatus æther, quando insolito tonitru immugiens prostratâ AQUINATIS germanâ, laureata jacentis populi gerebatur allambere cunabula, quæ jam tunc laurus ambiebat Philosophica. Quid mirum, quòd crescentibus annis, quæ Alberto Magno Magistro ruminabat naturæ arcana, tanta depromeret alacritate, ut Magistro suo postliminiò audiret discipulus illustrior: sic perscrutatus huma-

Pet. Labbe. Soc. JESU in Elog. S. Th. de Aquin. Auth. cit. Thomas *idem sonat, quod* abyssus.

Iisdem in locis altiores professus disciplinas. *In vita.*

Boland. in vita S. Thomæ Aquin.

Bucerus hostis veritatis attamen in laudem S. Thomæ dixisse fertur: Tolle Thomam, & dissipabo Ecclesiam. *Basil. Ferri in explan. Elog. S. Th. Baron. in vita S. Th. Aquin.*

humanæ ſcientiæ myſteria, ſic veteres transgreſſus Philoſophos, *ut, ubi errârunt ſinguli, per unum THOMAM correcti ſint Univerſi.* Unde meritò Summorum Pontificum ſummis celebratur oraculis, ut Martino Vto audiat *Doctorum flos.* Paulo Vto *inexpugnabilis Eccleſiæ clypeus.* Urbano IVto *Hæreticorum terror.* Urbano Vto *Catholicæ fidei firmiſſimum propugnaculum.* Pio Vto *Quintus Eccleſiæ Doctor, ejuſdemque clariſſimum lumen & columen,* verbo: orbis Chriſtiani Magiſter, cujus is ſemet ſponte profitetur Diſcipulum, quando cum ſancta Matre Eccleſia precatur: *ea, quæ THOMAS docuit, intellectu conſpicere.* Nam *quæcunque* Doctor hìc Angelicus *enuntiavit, fuêre oracula: quæ ſcripſit, miracula: quæ patravit, mera virtutum, & ſapientiæ portenta,* ipſiusmet Vaticani Tripodis teſtimoniis canonizata.

Franc. Piccolom. S. J. Gen. 8.
Joan. XXII. P. M.
Eccleſ. in orat. de S. Th.
Joan. XXII. P. M.

Sed auſim Te, Sacerrime Doctorum Princeps! curioſiori hìc interpellare quæſtione! quanam induſtria in tam ſublime ſapientiæ lumen ſublimatus? quo Magiſtro in alterum hunc ævi noſtri efformatus Salomonem? Orbiſque eruditi Magiſtrum? Quid hócce rei, Auditores ſpectatiſſimi! num Morpheus ſomnianti illudit Oratori? tam vera, quæ oculis obverſantur, ſcena? reduco ſiparium, aperio myſterium; novum repræſentari mihi videor extra Solymas theatrum Calvariæ, pendet ſublimè trabali affixum ligno DEI-hominis ſimulacrum, coràm lunatus genua, in corpore quidem, ſed extra corpus, ità à ſenſibus alienus Theophilus, defixis irretorto obtutu in pendentem è cruce Diviniſſimum Theandrum pupillis; AQUINATEM hunc eſſe docet ſol, illuſtriſſimis radiis è pectore vibratis refulgens; ponè Auguſtiſſima cœlorum Regina, DEI humanam carnem induti Mater, Virgo Intemerata, Virgineâ THOMAM complectens dexterâ, vices apud Crucifixum, & Matris obeunti ſimilis, & advocatæ, explicatis ad truncum trabalis ligni Codicum voluminibus; adſtantibus hinc Doctore Gentium, & cœli Clavigero illa ædificata ſuper fundamentum Apoſtolorum Eccleſiæ Petra: illinc Hipponenſium Præſule, advolantibus ſupernè ad novum in carne Angelum Geniis cœleſtibus, cœleſtis Chloridis delicias THOMÆ Virgini miniſtrantibus. Quid amabo inuſitatum hoc portendit ſpectaculum? hæreo! huc ſacratior Oedipe! ediſſere! quæ AQUINATI hæc inter beatarum mentium commercia ſunt negotia? audio! mirum viſu dictúque! hìc Orbis erudiendi capit myſteria: hìc in Doctorem Angelicum, Orbíſque eruditi, ipſo Crucifixo Magiſtro formatur in Magiſtrum. Bene habet! Argumentum in rem meam deſumo, dum ſcientiam AQUINATIS vel ex hoc capite celebro ſplendidiorem, quia docente Crucifixo Magiſtro acceptam, dum ideo Doctorem Angelicum, Orbíſque eruditi Magiſtrum pronuncio, quia Crucifixi Diſcipulum. Rem planiori do calamo conſignatam: *Quotiescunque in enodandis Sacræ Scripturæ, Divinorúmque myſteriorum expertus eſt difficultatem, cùm nulla lux affulgeret, quæ obſcuritatem diſpelleret, ad ſolitum Orationis ſtudium confugit, conſuluítque pendentis è Cruce Chriſti imaginis librum.* Et auxiliares cœleſtis luminis expertus eſt ſuppetias; quandoquidem *primos Eccleſiæ Magiſtros, & Theologiæ lumina, SS. Petrum & Paulum, Angelos, ipſámque Sapientiæ Matrem* è cœlo miſſos meruit habere inſtructores; *qui in amoris argumentum maximam noctis partem cum THOMA colloquendo, ac familiariùs agendo tranſegerunt, ut loquentium voces à ſocio auſcultante, & attonito audirentur;* ut meritò conjeciſſes, conjurato Cœlites inito fœdere ad promovenda D. THOMÆ ſtudia convolâſſe. O illuſtres noctis tenebras! Valete profanæ Stoæ! Valete Peripati! qui ſapientiam veſtram inflatis buccis inanè hactenus buccinâſtis! hìc AQUINATI ſacratior eſt Stoa, hìc Peripatus, ad Theandrici Magiſtri è Cruce pendentis ſimulacrum, è cujus ſacratiſſimis cicatricibus largiſſimè, ſi ità loqui fas eſt, proluit, ac Divinis ſplendoribus animum implevit; hìc miris circumfuſus illu-

Deſcribitur orans coram Crucifixo S. Th. in Icon. Venetiis excuſa, & approb. expreſſus.
Qualem Chriſt. Petrum confirmavit, cum dixit: tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam. Matth. 16. v. 18.
P. Antonin. Maſoulie. D. Th. ſui intepr. tom. 2. Commend. Doctrin. S.
S. Dyon.
P. Anton. Maſoulie. cit. & S. Vincent. Ferrer. in ſerm. de S. Th. Aquin.

S. Dyon. de Doroth. illustrationibus, longiores raptus in extases, *supráque mortalitatem evectus,* Divináque passus, ea perdiscebat, quæ toti orbi ad admirationem subinde eructabat: hìc cœlestes inter delicias non tam labore, quàm Spiritus S. unctione edocebatur. Spectâsti Reginalde Divina cum DEO-homine miscentem colloquia! ipséque doctrinam è cœlo haustã pennâ excepisti, quam è sacris incarnatæ Sapientiæ humanã carnem indutæ Magistrorum Magistri Crucifixi laticibus depromptam devotus hic Ejusdem Discipulus, sed Orbis Magister tuo instillabat calamo in orbis eruditionem, ad cujus in cruce pendentis imaginem pronus, in eo *libro scripto foris & intus, sed sigillato aliis,* *Ezech. 2. v. 9.* *P. Anton. Mausolie loc. cit.* *at THOMÆ aperto, ac expanso legit Divina mysteria, quæ cæteros latent.* Pace tua, magnum Coloniæ lumen! scientiarum columen! ab uno Discipulorum Maximo Magne Magister! Alberte Magne! non inficior Te ævi tui redivivum Salomonem, celeberrimum AQUINATIS Discipuli Magistrum; sed & Te palàm confitente, audacter assero, discipulum (quem *In vita S. Thom.* ipsemet Angelici ingenii hominem admiratus) Magistro suo illustriorem; utpote qui Te quidem loquente exteriùs, sed sacratiori Magistro docente interiùs, usque adeò proficiebat, ut nihil edissereris sublime, quod AQUINAS non intellexisset sublimiùs: nihil tam abditum panderis, quod AQUINAS non percepîsset planiùs: nihil tam Divinum edixeris, quod AQUINAS non penetrâsset Diviniùs, momento, penè dixerim, assecutus summa rerum momenta; sed quo docente? non tam Alberto, quàm Magistro Crucifixo, postquam *lignum crucis, in quo fixa erant membra Christi* *S. Augustin. lib. de agon. Christ. c. 11.* *patientis, si cui, certò THOMÆ etiam Cathedra fuit Magistri docentis.* O Crux! trabalis furca! olim morientis in ea Salvatoris insigne dedecus! hodie docentis in ea Magistri, & gloria, & decus, & elevatæ super humanam ambitionem Majestatis firmamentum!

Spectate sacratiorem hunc in schola Crucifixi Musophilum! ipsum Oratorii sacrarium in Sacrum THOMÆ extendebatur Athenæum, trabale Crucis lignum efformabatur in ambonam, Divinissimus Theander *Coloss. 2.* Cruci affixus Magistri obibat officium; pectus illud, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ DEI absconditi,* vivam aperiebatur THOMÆ in bibliothecam; VERBUM ipsum Divinum inaudita metamorphosi formabatur in apices, & articuli membrorum Divinorum in cruce extentorum dividebantur in articulos quæstionum: & quodnam lectionis in sacratissimo isthoc Lycæo accepit argumentum? Ipsum mysteriorum myste- *Joan. 1.* rium à sæculis absconditum, *quod in principio erat Verbum* per unionem Hypostaticam Humanitati in tempore copulatum. At suspicite etiam in sacratiori Musophilo hoc Crucifixi Discipulo absolutissimæ eruditionis Magistrum; qui vix primis, ut ità dicam, unguiculis sacratioris hujus scholæ limen attigit, vix primis è Cathedra Crucis docentis doctrinam degustavit labiis, jam intima DEI arcana penetravit celerrimè, grandia my- *P. Anton. Mas. D. Th. sui Interpr. tom. 2.* steria explanavit subtilissimè, Divinam altissimámque Divinissimi Theandri Theologiam exposuit facillimè: quasi ipsum inexhaustum sapientiæ Divinæ hausisset fontem. Et hausisse se omnino comprobavit, quando Altissima Theoremata planissimo eructavit alveo, quæ ad nostram usque ætatem acutissima ingenia admirantur, non assequuntur: non hominis, sed sapientiæ increatæ testimonio comprobata, ipsiusmet Magistri Divi- *Ità Neapoli in Eccles. S. Dominici Crucifixus Thom. est allocutus.* vinissimi vivæ vocis oraculo canonizata: *Bene scripsisti de me, THOMA!* Ponderosissimum sanè sapientiæ AQUINATICÆ testimonium, Ipsius Divinissimi Theandri syngrapha voce posteritati consignatum! En THOMAM orbis Eruditi Magistrum, quia Crucifixi Discipulum. Non ultrà *S. Vinc. Ferrer. cit. & Pius V. in Bulla: Mirabilis Deus &c. Lactant. lib. de op. Dei c. 16.* est ampliùs, cur in diversas abeatis sententias Lactantii! num in corde: an verò in cerebro sit sedes mentis? nec eam in cerebro ultrà Platones dispu- tate! quando pro corde sententiam fert clara in THOMA experientia, qui id, quod Claræ vallensis apicula, laconicô & acutô notavit stylô in se didi-

didicit comprobatum: *plùs docere amorem, quàm laborem.* Nec eſt, quòd ultrà tuam, fabuloſa Gentilitas, buccines Minervam, ex fœcundo Jovis cerebro procreatam; quando veraciori prodigio Divinam THOMÆ ſapientiam non ex Jovis fabuloſi cerebro, ſed ex veri Numinis carnem induti aperto lateris corde, ceu ex ſacro ſcientiarum Athenæo intelligo prodiiſſe. Nec eſt, quòd ultrà, Magne Monarcha, Macedonum Philippe! Tibi, magnóque Filio tuo Alexandro gratuleris felicitatem, quòd parem Diſcipulo tanto repereris Magiſtrum Ariſtotelem: THOMÆ Magiſter & Ariſtotele, & Orbis eminet ſapientibus, qui *ſcientiarum audit Dominus.* Nec eſt, cur adhuc apud Delphicum de moderatore ſoliciteris oraculum Sophronice! Huc age! iſthunc Tripodem veridicum cum AQUINATE conſule, in hoc reperies *vitæ Ducem ſexcentis Doctoribus meliorem.* Sint proinde ſua Græciæ ſapientibus Lycæa; ſint Odæa Sapientûm Athenis, ſit ſua Zenoni erudita porticus, ſuus Philoſophis Peripatus; una præ omnibus AQUINATI eſt ſchola Crucifixi, unam in ea excipit lectionem. Angelos vincit, Doctórque audit Angelicus & orbis Eruditi Magiſter, quia Crucifixi Diſcipulus. Et quidnì? Hic enim eſt omnis ſcientiæ Sol, licèt in cruce obſcuratus: eſt Author lucis, licèt tenebris velatus, eſt ipſa Sapientia Divina, licèt falſo ſtultitiæ fucô dedecorata: eſt Veritas, licèt mendaciis obruta.

S. Bern.

Comes Natalis in mytholog.

Curt. de geſt. Alex. Magni.

1. Reg. cap. 2.

Sophronico de Magiſtro pro filio ſolicito fertur oraculum reſpondiſſe: Eum habere vitæ Ducem ſexcentis pædagogis meliorem.

Plutarch. de Gen. Socrat.

Nicol. Avanc. in Or. de Deo-homine.

Primus cœli beneficio ſapuit in mundi adoleſcentia cœleſtis ille paradiſiaci viridarii Alcynous, Regius Paradiſi colonus Protoplaſtus, quando teſte Hypponenſi Antiſtite: *Immiſſus eſt cœleſtis ſopor in Adam, ut intrans in Sanctuarium DEI intelligeret noviſſima.* Sapuit & THOMAS DEI-hominis gratuito munere, quando inter felices à corporeis ſenſibus receſſus tam Divina perſentiſcebat, cùm ſe mens non ſentiret, inter dulcia cum Divis commercia, *tum verbo fruebatur, cùm mens ineffabili Verbi Incarnati illecta dulcedine ſe ſibi quodammodo furabatur.* In hoc Adamo felicior, quòd ille infuſam Divinitus ſapientiam ſub arbore ſcientiæ boni & mali turpiſſimè, eheu! periclitatus: AQUINAS ſub arbore crucis eandem feliciſſimè auſpicatus fuerit; arbor illa ſcientiæ boni & mali à Protoparente furtivè deguſtata univerſæ poſteritati dedecoroſa metamorphoſi degenerârit in abortivum fructum ignorantiæ: arbor hæc THOMÆ pullulârit in germen ſcientiæ; ſub arbore malo corrupta eſt Mater morientium, & Parens propagatæ in poſteros inſipientiæ: ſub arbore malo ſuſcitata eſt Mater viventium, Incarnatæ Sapientiæ Genitrix, & ingeneratæ THOMÆ Divinæ ſapientiæ altrix, quam adhuc puſio, & eſurivit cum chartis, & intrà viſcera glutivit in nomine. Quid mirum, quòd eam ſibi omnino reddiderit domeſticam, imò ſublimiori privilegio, ac jure amicitiæ participaverit?

S. Aug. de Gen. ad lit.

Inter repetitas extaſes fertur Chriſtus facie ad faciem locutus Thomæ.

P. Anton. Maſſ. D. Th. ſui Interpr. tom. 2.

S. Bern. ſerm. 85. in Cant.

Cant. 8.

S. Anſel. & alii exiſtimant arborem ſcientiæ boni & mali fuiſſe malum, & crucem fuiſſe ex arbore malo. Adhuc parvulus deglutivit expreſſum in cartha: Ave Maria

Ego certè, dum THOMAM contemplor, venuſtiſſimum in eo videre mihi videor *Diſcipuli illius, quem diligebat JESUS*, Parelium; ut proinde auſim aſſerere THOMAM Sapientiæ Theandricæ cum Joanne participem omnes ſcientiarum Divinarum theſauros hæreditâſſe. Quid enim? Joannes Theologorum Alpha! & unde? quia in Solymæo Sionæi cœnaculi ſtrato Magiſtrum habuit DEUM-hominem: AQUINAS Doctorum Angelus, Angelorum Doctor, Academiarum Magiſter, Magiſtrorum Dux! Et unde? quia eundem conſummata jam (cujus in Solymæo cœnaculô in agno typico egerat præludium) triſtiſſimæ Paſſionis cataſtrophe, in Golgothæi montis vertice Crucifixum, è cathedra crucis docentem audiit Doctorem: Joannes in Theandrico Crucifigendi pectore, AQUINAS in Crucifixi latere ſacratius reperit Lycæum, uterque opulentiſſimum omnium ſapientiæ & ſcientiæ DEI theſaurorum reconditorum gazophylacium, unde multifariam illam ſublimiſſimorum myſteriorum uterque deprompſit encyclopædiam, *fluentáque ſapientiæ de ipſo ſacro Dominici pectoris fonte potavit*; unde uterque, *quot Erotemata, tot edi-*

Boland. in vit. S. Thom.

Joan. 21.

Univ. Complut.

Joan. XXII.

Joan. Bapt. S. J. Encom. Tom. 1. S. Th. Fasti. Martii die 7.

edidit miracula, quæ Christianus orbis suspicit veluti ex sacratiori Tripode deprompta oracula: Joannes in Pathmo insula mysteriosam Apocalypsim, AQUINAS in castello, à Germanis sibi destinato exilio, *tale opus tenerioribus adhuc in annis edidit, cui vel ultima ætas scholasticos inter pulveres exercita vix sat matura videbatur:* Joannes ideo *majori dilectionis prærogativa dignus*, quia Virgo; Virgo & THOMAS, qualem sese facto ipso demonstravit, quando Paphiæ Deæ emissariam è cubili suo titione profligavit: meritò indè à Sponso Virginum Doctoris Angelici purpuram meritus Virgineo verecundiæ murice conchyliatam; meritò indè cum Daphnide victoriæ & Magisterii retulit laureolam; qualem omnium THOMÆ arcanorum & conscientiæ arbiter Reginaldus in eo suspexit, dum jure jurando affirmavit; THOMAM quinquagenarium, ceu quinquennem puerulum, tam sceleris purum, tam vitæ integrum: ô verè Virginem Virginis Magistri Discipulum! ac vel ideo Doctorem Angelicum, orbísque eruditi Magistrum! quos enim hìc in scholam suam recipit, hoc ipso per saltum Orbis Doctores creat.

Clemens VII. Eccle. de S. Joan. Evang. Brev. Rom.

Apud Ribaden. in vit. S. Thom.

Ad Hebr. c. 1.

Matth. c. 17.

Ps. 18.

Apoc. c. 12.

Aresius lib. 4. Imp. 104.

S. Vincent. Ferrer. Tom. 1.

Hieron. Novel. Epist. lib. 2. de scriptis S. Th.

Et quid amabo illustrissimus ille, qui in AQUINATIS refulget pectore, sol portendit aliud, quàm Solem increatum (qui splendor est Patris æterni, licet sub cruenta humanitatis facie in cruce absconditus) totam sese in AQUINATIS pectus effudisse, & ipsas inter funestas in cruce eclypses meridiem accendisse scientiarum? Voluit nempe Illustrissimus ille Magister, cujus facies in monte Thaboreo resplenduit velut sol, etiam AQUINATIS pectus irradiare, ut totum in se discipulum transformaret, reflexísque ex eo, ceu illibato speculo Divinissimis radiis universi ambitum illustrare divinior Archimedes; & qui subinde in sole posuit tabernaculum suum, funiculos tentorii ejus dilataturus novam nobilem Regiam sibi ipsi (qui Sol est justitiæ) construere in pectore AQUINATIS, ut ex novi domicilii possessione magìs fulgere videretur; quíve in veteri testamento è summi Sacerdotis fulgebat pectore, in novo fulgeret è pectore ThOMÆ. Sol, qui mulieri Apocalypticæ ità extendebatur in paludamentum, ut totum corpus circumamicierit, totus in AQUINATIS pectore colligitur, cur illud? quid portendit mysteriosa illa solis mulierem totam, AQUINATIS solùm pectus amicientis catatyposis? ænigma sacratior Oedipus sequenti elucidat elogio Doctori Angelico concinnato, in quo, quot verba, tot assumpti thematis mei lego thaumata: quia nempe sublimis illius, Divinæque Sapientiæ, carnis passibilis velo amictæ lux, quæ per omnia sanctæ Matris Ecclesiæ membra dividitur, & spargitur, tota in THOMÆ pectore collecta, ac in compendium unita resplendet; ut meritò dicas Ecclesiam (quæ in nova lege sua recipiebat arcana è Christi pectore) nova etiam recepisse de pectore THOMÆ Divinissimo hoc Phœbo illustrato. En orbis eruditi Magistrum, quia Theandrici Magistri Discipulum! à cujus Divino lumine sol ille, qui in THOMÆO pectore radiat, lucem omnem mutuavit, postquam, *quod in singulos, hoc in unum THOMAM Dominus munificentissimè profudit, séque effusissimè in illius sinum orbi consulturus universo effudit.*

A reliquis Alberti Discipulis ob silentii amorem bos mutus appellabatur. In vita S. Th. jussu Pii V. P.M. excus.

In Act. Apost.

Sed Hem! novum memet sibi vendicat spectaculum! specto solertem hunc in schola Theandrica discipulum, & sub Divino Verbo Harpocratem induisse, imò inaudita metamorphosi in bovem mutum abiisse obstupesco: quid sibi vult amabo juratum in schola Divini Verbi silentium? obmutescit, quia tunc discendi cupidus, unum avet, ut omnibus aliis tacentibus unum verbum sibi loqueretur, eíque in hoc assimilaretur, quòd carnem humanam indutum siluit, antequam loqueretur. Diu siluit dilectus ille Christi Discipulus Joannes, & Petro Thaumaturgâ suâ facundiâ Hierosolymis miscente omnia, nec balbutìsse legitur; ubi verò corripuit stylum, grandior fulmine pertonuit, eloquiíque tarditatem sublimitate

tate

tate doctrinæ compensavit. Diu rosa corymbo implicatur, at ubi thecam diduxerit, rubore suo rubere compellit vel sydera. Obmutescit AQUINAS penè in bovem mutum: vaticinare Alberte Magne! quæ tibi de bove isthoc rationali sententia? Ruminat: at ubi digesto cœlestis doctrinæ pabulo, fractisque silentii repagulis immugierit, universus orbis à prodigioso hoc mugitu resonabit. Resonuit profectò, ità, ut, qui olim mutus audiit, hodie vocalissimum adoretur, & audiat oraculum; & unde? quia in schola Verbi Divini è triumphali crucis pulpito eruditus Discipulus; non potuit THOMAS non fundere oracula Delphicis veraciora, non potuit non in orbis efformari Magistrum, qui Cœlites, Cœlitúmque Dominum ipsum habuit Magistrum. Inter Sancta illa Ezechielis animalia etiam bovem conspicio, insuper mirabile visu! inter vultuum eorundem varietatem plantam omnibus unam obstupesco, *quasi plantam pedis vituli*, quin mira subitò metamorphosi bovem in Cherub transformatum reperio: hoc mysterium. Sed confirmandi novo thaumate thematis mei grande argumentum: audierit in schola Alberti Magni bos AQUINAS meus, hoc adipiscendæ aliquando totius Orbis Magisterii prærogativæ fuisse præsagium docuit eventus, quando bovem illum in schola Verbi Divini eruditum, jam pennis instructum sublimè evolare cum aquila, jam ratiocinari ùt hominem, sed suprà hominem, jam prodigiosa metamorphosi in Cherub transformatum intelligere reperio cum Angelis, tantúmque cæteros inter Doctores (omnes ejus plantâ incedentes) eminere, quantùm Cherub inter Intelligentias. Gloriare Orbis erudite tanto Doctore! Crucifixi Magistri tanti, quo majorem nec cœlum desiderat Discipulo. Gloriare & tu Divi Dominici Ordo Sacerrime! illo, in quo tibi & sibi tota gloriatur Orbis orthodoxi Universitas. Ego verò panegyricum stringo in epilogum, & jejunæ Suadæ meæ tanto Doctori dilaudando impari indico silentium; ambonam cedo Crucifixo THOMÆ Magistro & Encomiastæ, cujus una vox: *Bene scripsisti*, plùs dicit, quàm omnes linguæ: Panegyrici locò Memnonium erigò colossum huic scientiarum Phœbo sacrum, non Phidiæ scalprô, sed elogiasticâ pennâ elaboratum, sequenti inscripta epigraphe:

Thacus in vita S. Th. Boland. lit. I. processf. Canoniz. cap. 7.

Quatuor Ezechielis animalia signant quatuor Ecclesiæ Doctores. Graven. Cherub. paradis. lib. 2. c. 3.

Cherub D. Hieron. idem sonat, quod Magister.

Cherub. itèm plenitudo scientiæ dicitur S. Greg. hom. 6.

Pet. Labbe in Elog. de S. Th. Aquin.

Sanctus THOMAS de AQUINO
à pervidendi perspicuitate
Inter Doctores Angelus,
Ab intelligendi sublimitate
Inter Angelos Doctor,
Quia Cherubinus.
Verè THOMAS, id est abyssus *scientiarum*
Orbis eruditi Magister,
Quia
Crucifixi Discipulus,
Novam invenit Artem sapiendi,
quam ipsa sapientia creata nesciebat.
Hactenus aliter sapiebant Cœlites, aliter homines,
Conflavit ex duabus sapientiis unam,
& fecit sibi propriam,
nempe:
à Doctore Seraphico studere didicit Angelicus,
Libro illustri scripto intus & foris,
Pendenti è Cruce DEO-Homini.
Hunc librum meditabatur,
Hunc Magistrum frequentabat,
Nec aliunde, nisi à DEO haurire potuit,
quæ de DEO subtiliter scripsit,

Interrogâsse fertur subinde Angelicus Doctor Seraphicum: cui libro studeret? ostendit hic pendentem è Cruce Deum-hominem.

quæ

quæ in scholis acutè composuit:
Brevissimo tempore in hoc libro invenit,
Hoc Doctore didicit,
quæ Alii longissimo in pluribus non reperêre.
Parùm adhuc dixi:
Eodem tempore Discipulus & Magister fuit;
Ex primo principio omnia,
In omnibus primum principium penè comprehendit.
Primo Divini Numinis Discipulo Adæ in hoc felicior,
quòd ille DEO quidem Doctore sapuerit;
sed à ligno scientiæ dissipuerit:
THOMAS à ligno sapere didicerit.
Palæstino Rege in hoc potior,
Quòd ille adeptæ DEO Magistro sapientiæ
ad infames Cypri scopulos naufragium egerit:
AQUINAS illibati pudoris circumvallatam liliis
Alex. VII. *Cyprias inter flammas illibatam conservaverit;*
Merito plùs quàm Salomon hic.
Joanni, dilecto Theandrici Magistri Discipulo
in hoc par:
Quòd Joannes Theandrico ex pectore,
AQUINAS ejusdem ex latere
Orig. in cap. 1. Joan. *Divinam hauserit sapientiam,*
Uterque Discipulus Deividus:
qui,
ut sorbendæ Divinæ sapientiæ intentum se probaret,
Matris sapientiæ magnum nomen parvo rictu puer absorbuit.
Cæteris in hoc Major,
Quòd epitomen fecerit omnis alienæ sapientiæ,
Dum Summam suæ,
quot verba, tot mysteria,
Alex. VII. Quot articulos, tot prodigia *scripserit*
inconcussa tutissimáque dogmata.
Hinc
Academiarum Magister,
Magistrorum Dux,
Doctorum Princeps,
Peripateticorum Sol,
quia
Crucifixi Discipulus,
qualem dixi.